

1597 esset, jam exacto admonitionis termino, sententiam Pontificem laturum, anathematisque fulmen emissurum, enixe Estensis a Senatu petebat, ut quantum opera, officio, studio posset, rem extrahendam curaret; a quo sane minime alienus Pontifex videbatur, licet modeste admodum conquereretur, arma Cæsarem e Venetis ditionibus capere, Reipublicæ subiectos ad eum transire; facultatem vero exportandi arma se petente, ut illius artis opifices Reipublicæ tantum operam suam præstarent, edicto cautum fuisse. Cui Delphinus, quin clam atque seorsum in Ferrariæ fines subiecti transirent, cum præsertim multas affinitates & clientelas iis in locis haberent, efficere Senatum non posse; armorum decretum sæpius in Venetis aliorumque Principum ditionibus promulgari solitum. Interea Rondinellius Romam pervenit, preloque excusa Estensis jura attulit, quibus agnationis lineam minime extinctam, atque proinde ad Ecclesiam feudum devolutum non esse, ostendere nitebatur. Pontifex Purpuratos, quibus Ferrariense negotium mandaverat, ad se vocat; ex iis quatuor, qui Estensis rationes inspiciant, deligendos, ut deinde, quid juris sit, decernatur, proponit. Huic sententiæ acriter Alexandrinus Cardinalis obsistit: id manifestis Ecclesiæ juribus nimium officere; omni subblata mora, ad censurarum promulgationem deveniendum; Estensis scripta falsa, captiosa, minime admitti oportere; ad diem ducendam, pontificiaque decreta infringenda, excogitata atque inventa. Duodecim ex eo concilio Alexandrino adstripulantur, tres tantum Pontificis sententiæ accedunt.

Anathe-
ma in E-
stensem pro-
nuntiatur.

Itaque communi consensu rem prolatandam non amplius arbitrati: x. kal. januarii anathema in Cæsarem Estensem, atque in eos, qui ei consilio, ope favissent, quive adhæsisserent, pronuntiatur. In eo amplo verborum circuitu Clemens sese excusabat: *Ingenti dolore, atque animi molestia, non affectu, non privata ratione ductum; verum Pontificis munere, omnium sacramento, Ecclesiarum cura, ac Romane præsertim, a Deo Optimo Maximo sibi concredita, impulsus id consilium cepisse; cui cum, nuper extinctis Alphonsi Ducis agnatis, Ferrariæ, quæ in prisca ejus possessione fuerat, quam sui decessores auxerant, protexerant, devolveretur, rationi atque equi-*
tati